

## DECLARATIO INTENTIONIS ANTE MISSAM

Indulgentia 50 dierum semel in die Gregorius PP. XIII

**G**o volo celebrare Missam, et conficere Corpus et Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, iuxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei totiusque Curiae triumphantis, ad utilitatem meam totiusque Curiae militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, et pro felici statu sanctae Romanae Ecclesiae. Amen.

**G**audium cum pace, emendationem vitae, spatium verae penitentiae, gratiam et consolationem Sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

## ORATIONES DICENDAE CUM INDUITUR PARAMENTIS

### CUM LAVAT MANUS

dicat:

**D**a, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam; ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

### AD AMICTUM

dum ponitur super caput, dicat:

**I**mpone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

### AD ALBAM

cum ea induitur:

**D**ealba me, Domine, et munda cor meum; ut, in Sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

### AD CINGULUM

dum se cingit:

**D**raccinge me, Domine, cingulo puritatis, et exstingue in lumbis meis humorem libidinis; ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.

### AD MANIPULUM

dum imponitur brachio sinistro:

**M**erear, Domine, portare manipulum fletus et doloris; ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

### AD STOLAM

dum imponitur collo:

**R**edde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidisti in praevaricatione primi parentis: et, quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

---

### AD DALMATICAM DIACONALIS

dicat (ad Diaconum et Episcopum):

**I**ndue me, Domine, indumento salutis et vestimento laetitiae; et dalmatica iustitiae circumda me semper.

### AD CASULAM SACERDOTALIS

cum assumitur:

**D**omine, qui dixisti: «Jugum meum suave est et onus meum leve»: fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.